



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

16 De pactis, quae solent in emphyteusi interdum apponi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

zander *conf. 167. n. 4. lib. 7.* & hæc opinio est communis, vt testatur Clarus, *quest. 39.*

Quarò queritur, quanam actio ex emphyteusi oriatur? Oritur actio, quæ dicitur conditio ex lege, & testatur Bartolus hanc esse communem sententiam. *l. 1. n. 7. ff. de conditione ex lege:* quæ actio vires suas accipit ex lege Zenonis Imperatoris *l. 1. c. de iure emphyteos.* vnde ante eam legem emphyteoticus contractus obligationem quidem naturalem producebat, sed actionem minimè panebat: quia omnis actio iuris civilis est: quamvis obligatio non solum iuris civilis, sed etiam naturalis sit. Erant autem legem Zenoniam, ex locatione ad longum tempus obligatio & actio nascebatur, quæ dicitur ex locato & conducto. At ex emphyteotico contractus obligatio quidem naturalis, sed non actio oriebatur.

Quintò queritur, An bona emphyteotica sint Allodialia? Sciendum est apud interpretes iuris Canonici & civilis quædam bona dici Allodialia. Vnde in *lib. 2. Feudorum tit. 54. est de Allodis,* id est, De bonis Allodialibus. Allodialia bona propriè dicuntur iura, siue bona propria à nemine, nisi à solo Deo data, & recognita. Quare bona emphyteotica, vel feudalia non sunt Allodialia, quia ea à domino rei emphyteotice, vel Feudalis tanquam sua recognoscuntur. Dicitur etiam Allodium Gallicè, & Germanicè quasi Allaudium. Allaudium verò dicitur fundus, ager, siue prædium ad possessorem pleno iure pertinens: cuius nomine nulli laudatium (quod vulgò laudemium vocatur) præstatur, & debetur alieni. Ita vt Allaudium, sit nomen compositum à particula priuatiua, & laudium, hoc est, siue laudatione. Vt sit id prædium, cuius nullus est dator, nullus est laudator, id est, approbator, nisi Deus. Bona igitur emphyteotica non sunt Allodialia, vt est cõmunis sententia teste Claro *quest. 49.* tum quia eorum bonorum dator est dominus, qui proprietatem habet & dominium directum, qui tanquam sua, ea bona recognoscit: tum etiam quia ex re emphyteotica, pensio domino soluitur, siue cuius consensu res ipsa alienari non potest: vt iura præscribunt.

Sextò queritur, An res emphyteotica sit diuidua, an verò indiuidua, hoc est, An possit diuidi? Communis est opinio, posse diuidi, ita vt vnus vnam, alius aliam partem accipiat.

Septimò queritur, An res emphyteotica in legitimam portionem sit computanda? Respondeo ex communi sententia, si emphyteosis sit hæreditaria, eam esse in legitimam portionem numerandam, perinde atque alia bona patris, quæ iure hæreditario ad filios deueniunt, quare talia bona emphyteotica vna cum cæteris bonis paternis censeri, & haberi debent, ita vt tanta sit portio legitima cuiusque filii, quantum est summa omnium illorum bonorum: ex quo etiam sit, vt filius, qui rem emphyteoticam ex toto, vel ex parte acceperat, eam in legitimam portionem computare cogatur, & proinde cum cæteris fructibus conferre. Si verò emphyteosis hæreditaria non sit, tunc in legitimam portionem referri non debet. Ita communis opinio cum Angelo & Glossa in *l. Si patroni. verbo apud heredem. ff. Ad Senatuum consulum Trebellianum,*

Octauò queritur, An possessor emphyteusis nominare queat successorem in emphyteusi? Sciendum est, emphyteusim aliquando dari solitam alicui cum potestate nominandi successorem, quem voluerit in emphyteusi, & tunc etiam si loqui non possit, dummodo tamen sit rationis compos, & nutu, vel signo consensum & voluntatem exprimat, nominando successorem, rata est & firma ea nominatio. Quid autem, si ille dixerit se ad alimenta filii, siue filie dare rem emphyteoticam, quam ipse habet, & postea alium filium tanquam possessorem in emphyteusi nominauit, An in prima traditione censetur facta verè & propriè nominatio. Quidam negant, quia solum videtur ille vnum fructum in re emphyteotica, vel ad vitam filii, vel filie, reseruato sibi iure nominandi quem voluerit, vt post obitum filii vel filie succedat. Alii tamen affirmant veram esse

ic & legitimam nominationem, & proinde secusdam non valere.

Præterea aliquando emphyteusis datur alicui cum potestate nominandi successorem, & ea conditione, vt postea successor nominatus possit etiam nominare quem maluerit, ac ita deinceps ad vitam trium, vel quatuor successorum.

Dubium quæsitio est, An quando emphyteusis datur alicui cum facultate nominandi successorem, eo ipso intelligatur nominatus, qui instituitur hæres in emphyteusi. Respondeo: quæquid sit de iure communi, saltem alicubi est consuetudine receptum, vel statuto decretum, vt is eo ipso pro nominato habeatur: quia quamvis expresse non nominatur tanquam successor in emphyteusi, iure tamen & implicite censetur nominatus eo ipso quod est hæres institutus.

De pactis, quæ solent in emphyteusi interdum apponi.

CAPVT XV.

PACTVM, vt emphyteuticarius pensionem non soluat, nullius est momenti, quia est contra substantiam emphyteotici contractus.

Nam quemadmodum substantia venditionis requirit pretium, & substantia locationis mercedem. *l. Si merces. ff. locati,* sic emphyteusis substantia, pensionem. Abbas *consil. 72. num. 2. volum. 1.*

Pactum ne emphyteuticarius ex dolo, vel lata culpa teneatur, non valet, quia est contra bonos mores.

Primo queritur, An subsistat pactum, vt emphyteuticarius ex leuissima culpa, vel ex casu fortuito teneatur? hoc est, An valeat pactum, vt res emphyteotica sit periculo eius, qui eam in emphyteusim accipit? Respondeo, valere, quia non pugnat cum substantia emphyteusis, quamvis præter naturam eius sit. Atque pacta in contractibus sunt rata & firma ex mutuo contrahentium consensu, quando substantiæ contractus, aut bonis moribus minimè aduersantur.

Sed tunc necesse est, vt emphyteuticarius, qui rem suo periculo suscipit, minorem solito pensionem soluat. Nam periculum & onus quod suscipit, est pretio æstimabile.

Secundò queritur, An consistat pactum, vt emphyteuticarius quamdiu vixerit, pensionem soluat, tamen si res tota emphyteotica pereat? Consistit: quia solum est præter naturam, non contra substantiam emphyteusis & talia pacta ex voluntate contrahentium obligationem recipiunt, & quisque sua sponte potest se alteri obligare.

Tertio queritur, An valeat pactum, ne emphyteuticarius repellatur a domino queat, etiam si quinquennio cessa uerit à solutione pensionis? Valet, quia non contra substantiam, sed præter naturam emphyteusis est, Glossa cuius sententiam sequitur Bartolus in *l. 2. c. de iure emphyteo.* Abbas *consil. 72. lib. 1. Decius cap. 1. de consuetudine,* Couartius *lib. 3. variat. resolutionem cap. 7. nu. 1. ad finem.*

Quartè, an vim etiam habeat consuetudo recepta, vt emphyteuticarius non expellatur, si triennio à soluenda pensione desitit? Respondeo cum Abbate *consil. 72. volum. 2. n. 1.* vim habere, quia consuetudo potentior est, quàm pactum priuatorum: vt colligitur ex *cap. ult. de consuetud. c. Barol. in l. Omnes populi. ff. de iustit. c. iure.*

Quarò queritur, Quidam præter pensionem debeat emphyteuticarius Domino, si rem ipsius consensu vendiderit? Respondeo, iure communi debere quinquagesimam partem pretii, *l. ult. c. de iure emphyteotica.* Alicubi moribus vrentium receptum est, vt soluat emphyteuticarius

nus quadragesimam partem pretii, in modo etiam vigesima. Hanc partem pretii, siue quinquagesimam, siue vigesimam, iuris canonici, & civilis interpretes appellant Laudemium: porò laudemium in Latinum nomen non est; sed Longobardum, quamuis à Latino verbo, meo iudicio, deducatur: laudare, teste Aciato *in Parergis*, Antiqui vsurpabant pro Approbare, unde dictum esse videtur Laudemium, laudatium, quemadmodum à Dono donatium. Quia nimirum, Emphyteuticarius, cum annuente & consentiente Domino rem vendit, & quinquagesimam pretii partem Domino pendit, tunc Dominus laudat, hoc est, approbat venditionem, & emphyteusim renouat, ac propterea ea pretii pars, quæ ipsi præstatur, Laudemium dicitur, quasi laudatium.

Quinto quaeritur, An sit soluendum Laudemium Domino, cum emphyteuticarius rem emphyteoticam ad alium transfert donatione? Respondeo cum Siluest. *in verbo emphyteusis, qu. 2.* esse soluendum, & Laudemium debetis, qui rem emphyteoticam donatione recipit, nec enim eam accipere potest, nisi illum ad rem emphyteoticam Dominus admittat: quod si rei possessionem absque domini consensu accepit, iure suo cadit, & communem esse sententiam, videlicet Laudemium Domino debetis, testatur Iulius Clarus *lib. 4. receptarum sententiarum, quasi. 23.*

DE FEVDIS.

MULTI Iuris Ciuilis interpretes de Feudis scripserunt, inter alios. Franciscus Sousbeckius, Franciscus Curtius iunior, Iacobus cognomēto de Ardizone, Iacobinus S. Georgii, Ioā. Baptista Caccialupus, Petrus de Bella Pertica, Petrus Rauennas, Valdericus Zafius, Laurentius Syluanus, Petrus Rebuffus, Ioan. Blanchus, Ioan. Ferrarius, Andreas Iserria, Guilielmus Hānctonius, Martinus de Siluanis. Varias in idem quaestiones de Feudis, Aluarotus, Baldus, & Syfellanus disputarūt. Præterea extāt duo libri Feudorū in corpore (vt dicūt) iuris ciuilis, quos Obertus Iuris consultus ex vsu Mediolanensū, & aliarū ciuitatum, satis cōfuse collegit: in quibus nōnullæ cōstitutiones Imperatoriæ legūtur, vide licet Lotharii eius nominis primi, & Lotharii secūdi, Federici primi, & Federici secūdi, & Henrici septimi. Porro canonici iuris interpretes tractant de Feudis, *cap. 1. & 11. de Feudis*. Eguinarius Baro Iuris cōsultus Gallus quatuor libros edidit *de iure beneficiorū*, hoc est, de iure Feudorū, & titulos ac libros Feudorū breuiter explicauit, & Franciscus Duarenus commentarium edidit in cōsuetudines Feudorum.

Vnde dictum sit Feudum, & vnde Feuda originem traxerint.

CAPVT I.

VRIUS Ciuilis interpretes passim aiunt Feudum esse deductum à Fide, quia is, qui rem in Feudum accipit, de data se rei domino obstringit, & obligat: Verior tamen est illorum opinio, qui dicunt, Feudum esse vocabitū Gothicum, vel Longobardicum, non Latinum, deductum fortasse à Germanica voce Feudi, quæ bellum, siue militiam significat. Vnde in constitutionibus Caroli Magni, Fedofus dicitur, qui hostis est publicus.

Cæperunt igitur Feuda ex eo tempore, quo Longobardi in Italia regnum tenuerunt, quos deinde in Feudis dandis Carolus Magnus, ac postea eius, & demum Germani Imperatores in Francia, Italia, Britannia, & Germania imitati fuerunt.

Nam præda bello occupata victor ea lege colenda, & fruenda suis militibus tradebat, vt cum perpetuo domini agnoscerent, & se illius homines, hoc est, quasi clientes profiterentur: & propterea huiusmodi præda feuda dicebantur, & qui ea accipiebant, Vasalli appellabantur, quasi famuli. Non enim serui, aut famuli dici voluerunt, sed nomine paulo honestiore Vasalli, hoc est, subiecti iurisdictioni eius, qui rem in feudum dabat: & qua profitebantur se esse homines illius, à quo rem in feudum accipiebant, edita, & constituta est solennis in feudis accipiendis formula, scilicet, vt fidem, & hominum præstarent, quod postea magis Barbare dictum est Homagium. Et ab initio feuda quædam quasi precario tantum dabantur, vt ea dominus, quoties ei libeter, vel commo dum esset, reuocaret & reuocaret. Postea vero institutum est, vt etiam in perpetuum rebus fidei & domini conditione feuda traderentur. Franciscus Conanus vult vasallos esse dictos, qui olim coloni dicebantur, & ab antiquioribus Galis deductam esse consuetudinem, vt præda in feudum darentur, eo quod Cæsar *lib. 3. de Bello Gallico* scripserit, eos, qui opibus valentes, multos habuisse deuitos, quos secum in bellum ducerent, Solduros vocatos sua lingua, quorum hæc erat conditio, vt omnibus in vita commodis vna cum his fruerebantur, quorum se amicitia dedidissent. Quod si quid his per vim accidisset, aut eundem casum sentirent ipsi, aut mortem ipsi conficerent.

Feudum igitur est genus quoddam clientelæ, quo vel dignitas, vel vctigal, vel prædium aliquod ea lege datur alicui, vt & ipse, & ipsius posteris atque hæredes beneficii auctorem perpetuo agnoscant, & quasi pro patrono colant & habeant, eiusque caput, existimationem, & fortunas omnes tueantur.

Illius igitur origo & causa fuit, vt victores cum gratiam suis Ducibus, Præfectis, ac militibus pro opera in bellis & præliis egregie nauata referre vellent, honoribus & facultatibus, quæ fuerant gentium bello deuictorum, sibi deuincirent, & obligarent: & proinde tanquam deuotos clientes haberent, quorum opera bello partem prouinciam in posterum, si opus esset, tueri possent: & hos sua lingua Vasallos nuncuparunt, hoc est, siue iurisdictioni subiectos. Eguinarius Baro quod cæteri auctores voce Longobardica, Feudum appellant, vocat beneficium: & cum, qui vulgo dicitur vasallus, seu potius Feudatarius, nuncupat beneficium.

†